

opera valere apud Deum ad hujusmodi effectum, ut dicit Scriptura per eleemosynam redimi peccata, et qui misericordiam facit, esse misericordiam consecutum, juxta verbum Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Propter quod dixit Augustinus, Epist. 89, quæst. 4, in principio, quod si superbus dives, qui induebatur purpura et bysso, pauperis ulcerosi misertus fuisset, mereretur et ipse misericordiam. Et videri etiam potest Ambrosius, serm. 35, qui est in feriam 4, post Dom. 1 Quadrag. Præterea exemplum orationis habemus in publicano, qui, Luc. 18, per humilem orationem descendit justificatus, et Matth. 8 rex ille in parabola dixit: *Serçe nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me*. Ac denique Paulus, ad Hebr. 13, efficaciam horum operum explicat per modum meriti, dicens: *Beneficentiæ et communicationis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*; et Augustinus, 13 de Civit., cap. 5, vertit: *Placatur Deus*. Unde Patres hoc titulo maxime solent hæc opera commendare, ut refert Vega, dicta quæst. 7 de Justificat., et libr. 6 in Trident., c. 6, et Bellarminus in citatis locis. Præcipue vero Augustinus sæpe docet per fidem mereri hominem justificationem. Et quamvis negari non possit quin sæpe loquatur de fide viva, et consequenter de merito de condigno, aut vitæ æternæ, aut secundæ justificationis, ut videre licet lib. 10 de Trinit., cap. 1, et lib. 1 de Peccator. merit. et remiss., cap. 6, et aliis similibus, nihilominus negari non potest quin sæpe loquatur de fide, quæ initiat justificationem, et meretur progressum in illa, vel per seipsam, vel per alia opera quæ excitat, ut paulatim usque ad remissionem peccatorum perveniatur. Sic dixit epistola 105: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat, neque enim nullum est meritum fidei*; et epist. 106: *Si quis dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus*. Et cum sibi objiceret: *Si ex fide, quomodo gratis? nam quod fides meretur, cur non potius redditur quam donatur?* respondet: *Cum fides meretur justificationem, non gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici*. Ubi non loquitur de gratia habituali, sed de auxiliante ad credendum, ut ex contextu constat, et consequenter non loquitur de augmento intensivo habitus gratiæ, sed de extensivo per varios actus et auxilia gratiæ. Quando enim, post unum auxi-

lium ad unum actum gratiæ magis remotum a formali justificatione, Deus dat aliud auxilium ad actum minus remotum, et postea dat tertium ad alium propinquorem, et sic de cæteris, rectissime dicitur gratia justificationis augeri, ut tandem mereatur et perfici. Et hic est sine dubio sensus Augustini, ut facile legenti et consideranti patebit. Et de eodem merito remissionis peccatorum loquitur in Præfat. ad Psalm. 31, et tractat. 44 in Joann., ubi evidenter supponit publicanum fuisse peccatorem, quando oravit: *Deus, propitius esto*, etc. Nam illius exemplo redarguit dictum cæci: *Deus peccatores non exaudivit*. Non est ergo dubium quin Augustinus his locis loquatur de merito hominis fidelis nondum justificati. Et ipsa vox meriti remissionis peccatorum id convincit, nam homo jam justificatus non potest remissionem peccatorum mereri, nisi quis velit de peccatis venialibus ac de reatu pænæ temporalis id interpretari, quod evidenter est alienum a mente Augustini; nihil enim illud contra Semipelagianos ei deserviebat, et aperte loquitur de justificatione, quæ ad Dei amicitiam, et remissionem peccati quæ illi obstabat, terminatur.

16. *Primus modus eludendi citatos Patres refellitur a Vasquez*. — Nihilominus tamen auctores contrariæ sententiæ, præsertim Soto, variis modis conati sunt hæc Augustini testimonia eludere, quos refert et copiose refellit Vasquez, dicta disputatione 218, capite 3. Unus modus est, quod Augustinus loquatur de fide formata, quem satis refutavimus. Alter est, quod loquatur improprie et vulgari modo de merito, quem etiam in præcedenti assertionem circa Patrum testimonia impugnavimus, estque eadem vel major ratio de testimoniis Augustini, tum quia in locis ibi allegatis loquitur sicut alii Patres de pœnitentia, quæ proxime ad gratiam disponit; tum etiam quia in locis proxime citatis præcipue agit contra Pelagianos et reliquias eorum, qui aliquem modum veri meriti, repugnantem gratitudini veræ gratiæ, actibus fidei, et similibus mere humanis, et a solo libero arbitrio profectis tribuebant. Hoc autem meritum non negat fidei Augustinus, sed quia fides vera non est opus humanum, sed gratiæ, negat tale meritum repugnare gratiæ; ut videre licet libr. de Prædestinat. Sanctorum, cap. 2, et in aliis locis allegatis; loquitur ergo de proprio merito, quamvis imperfecto.

17. *Alter etiam modus rejicitur*. — Unde

etiam facile refellitur alter modus, quem Soto excogitavit, et multum commendat, scilicet, Augustinum tribuere fidei meritum, quia ipsa ostendit viam merendi, quod suadere conatur tum ex eodem Augustino, de Spirit. et litter., cap. 13; tum etiam quia Augustinus non agnovit verum ac formale meritum, nisi de condigno. Verumtamen sciendum est Augustinum ita quidem loqui de fide, ut non illi soli formaliter meritum tribuat, sed etiam aliis actibus qui ab illa procedunt, et e converso ita his actibus suum meritum tribuere, ut proprium etiam meritum fidei doceat. Est ergo illius sententia, fidem esse actum formaliter meritorium, et esse radicem meriti aliorum actuum. Primum horum aperte constat ex locis citatis, et præsertim dicto libr. de Prædestinat. Sanctorum, c. 1, in illis verbis: *Quis autem dicat eum qui jam cepit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?* Ubi loquitur aperte de formali merito, tum quia alias posset quis habere radicem merendi, et nondum mereri, quia radix illa non ex necessitate naturæ profert alios fructus, sed dependenter a voluntate libera; tum etiam quia Semipelagiani hoc modo tribuebant meritum fidei, cui alia bona retribuerentur, et hoc ipsum contra eos assumit Augustinus ut eos redarguat, et inde concludat etiam initium fidei esse donum Dei, ut patet, cum subjungit: *Unde fit ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari*, utique si initium fidei non est donum Dei, et ideo subjungit: *Quisquis igitur vult hanc damnabilem ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum, quod Apostolus ait: Vobis donatum est pro Christo, ut non solum in eum credatis*, etc., ad Philip. 2. Altera vero pars, quod fides etiam sit radix totius meriti, ab ipso Soto conceditur, et ejusdem rationis est cum illa, quam Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 8, tradit, fidem esse radicem justificationis. Hoc autem modo non dicitur fides mereri solum quia ostendit viam merendi, neque hoc unquam dixit Augustinus, qui ubique hoc potius tribuit legi quam fidei, ut ex eodem cap. 13 de Spirit. et litter. constat. Fidem autem dicit in hoc excedere legem, quia credendo impetrat quod lex minando imperat; impetrare autem non est tantum ostendere, sed est spiritum bene operandi aliquo modo mereri et obtinere, ut in aliis locis citatis idem Augustinus dixit. Igitur ex illo loco potius improbatur responsio Soti quam probetur;

quin potius verus sensus Augustini in aliis locis ex illo confirmatur. Quod vero Augustinus non solum meritum de condigno, sed etiam minus perfectum agnoverit, satis est a nobis in superioribus ostensum, et ex locis proxime tractatis est manifestum.

18. *Alia quorundam evasio. — Præcluditur*. — Alii nihilominus respondent Augustinum virtute retractasse istam sententiam, quod *fides impetrat seu meretur justificationem*, 1 Retract., capit. 23, ubi retractat, quod prius dixerat, initium fidei esse ex nobis; et putant esse sententiam D. Thomæ, dicta quæst. 114, art. 5, ad primum. Sed hoc neque in re ipsa, neque in verbis Augustini habet fundamentum, neque etiam mentem D. Thomæ esse existimo. Ad quod explicandum breviter, scire oportet propositionem illam: *Fides meretur justificationem*, duos posse habere sensus: unus est, quod fides mereatur totam justificationem gratiæ ab initio ejus usque ad terminum, et hic sensus est falsus et hæreticus. Et in hoc sensu verum est illam propositionem esse contentam in alia: *Initium fidei est ex nobis*, quia cum in fide inveniatur aliquid meritum, ex nobis esset meritum totius justificationis, et initium ac fundamentum ejus, ut argumentatur Augustinus, in dicto capite 2 de Prædestinat. Sanctorum. Nunquam autem Augustinus propositionem illam in illo sensu formaliter docuit; tamen in virtute id asseruit, cum dixit initium fidei esse ex nobis, et ideo in eodem tantum sensu vere dici potest illa prior propositio retractata virtute ab Augustino, cum posteriorem retractavit. Et profecto in hoc sensu locutus est D. Thomas. Nam, ut supra dixi, in corpore illius articuli præcipue agit de prima gratia auxiliante, ac proinde de merito totius justificationis ab ejus initio loquitur, cum absolute negat primam justificationem cadere sub meritum. In eodem ergo sensu dicit in solut. ad primam, alteram propositionem: *Fides justificationem meretur*, virtute contineri, et damnari in alia: *Initium fidei est ex nobis. Nam si initium fidei (ait divus Thomas) est in nobis a Deo, jam etiam ipse actus fidei consequitur primam gratiam, et ita non potest esse meritorius primæ gratiæ*. Ubi evidens est loqui divum Thomam de prima gratia auxiliante, nam hæc est quæ necessario præcedit fidem et inchoat illam, ut per se est manifestum. Alius sensus illius propositionis: *Fides meretur justificationem*, est ut intelligatur de fide supernaturali, seu infusa per gratiam auxi-

liantem, et de justificatione non tota, ut includit intrinsece initium suum, sed quatenus ab illo progreditur, et in eo fundatur seu crescit. Et hoc sensu est propositio vera, et Catholica, ac tradita ab Augustino in citatis locis; et nullo modo est retractata in altera: *Initium fidei est ex nobis*, quia nullam connexionem cum illa habet, imo ejus contradictoriam supponit, vel etiam infert, supposito alio principio Catholico, quod nulla vera gratia potest esse ex merito non fundato in priori gratia, ut ex eodem Augustino ostendimus.

19. *Ratione quoque probatur assertio, tribus distincta partibus.* — *Prima pars ostenditur.* — *Ostenditur secunda.* — Ut ratione ostendamus eandem assertionem, distingui possunt in ea tres partes: una est, quod isti actus dispositionum remotarum ad remissionem peccati sint capaces alicujus meriti de congruo; secunda est, quod aliquo modo possint esse meritorii remissionis peccatorum; tertia est, quod non immediate sed mediate tantum illam mereantur. Prima pars eadem ratione probanda est, qua in superioribus usi sumus, quia isti actus boni sunt, et ex gratia libere procedunt; ergo ex parte sua apti sunt ad supernaturale meritum; ergo, licet in peccatore, propter statum personæ, perfectum gradum meriti de condigno attingere non possint, saltem aliquid de congruo mereri poterunt, cum status peccatoris huic merito non repugnet, ut etiam ostensum est. Ratio secundæ partis est, quia hi actus veluti ex natura sua, eo ipso quod ad Deum ordinantur, aliquo modo disponunt ad unionem cum illo, et ita paulatim præparant ad remissionem peccatorum obtinendam; ergo possunt illam aliquo modo de congruo mereri, præsertim quando ab ipso peccatore ad hunc finem referuntur; nam cum secundum illum statum faciat quod in se est, per auxilium gratiæ, quod tunc habet, ut justificetur, et opera quæ facit sint aliquo modo proportionata huic fini, congruitas sufficiens est in hujusmodi operibus respectu talis termini. Denique peccator potest a Deo petere remissionem peccatorum, cum circumstantiis ad recte orandum requisitis, etiam eo tempore quo nondum sufficienter se ad gratiam disponit; ergo poterit idem mereri de congruo; nam licet impetratio et meritum inter se distinguantur, pro statu viæ conjuncta sunt, si homo quod in se est faciat, tam ad merendum eo modo quo potest, quam ad orandum sicut debet. Potest autem peccator, quando

remissionem peccatorum petit, aliquid aliud ex parte sua adjungere cum divino auxilio, ut exaudiatur, ut, verbi gratia, cum magna humilitate et propriæ indignitatis recognitione veniam petere, nam hæc humilitas plurimum valet apud Deum. Item si cum petitione adjungat remissionem propriarum injuriarum, juxta verbum Christi: *Dimittite, et dimittimini*, Luc. 6, et Matth. 6, et sic de aliis; ergo in hoc modo orandi et impetrandi aliquod meritum de congruo intervenit.

20. *Tertia ostenditur.* — Ratio tertiæ partis est, quia supra diximus nullum actum, qui sit tantum remota dispositio ad gratiam, posse esse immediate meritorium ipsius gratiæ; ergo nec remissionis peccatorum, quæ per gratiam fit; ergo ad summum potest peccator mediate ac remote mereri justificationem per istos actus. Dices non posse hoc consistere cum ratione proxime facta in præcedenti puncto; quia peccator immediate petit remissionem peccatorum, et ad illam ordinat cætera quæ facit ut exaudiatur, et ita illam impetrat immediate; ergo etiam immediate illam meretur. Respondetur potius hinc confirmari rationem factam, nam peccator qui nondum contritus petit remissionem peccatorum, si debite oret, non petit ut secundum præsentem statum sibi statim remittantur peccata et gratia infundatur; temeraria enim esset talis oratio. Petit ergo auxilium quo se ad justificationem obtinendam disponat. Unde quamvis in intentionis ordine, ut sic dicam, prius intendat justitiam et remissionem peccati impetrare, nihilominus in executione necesse est ut incipiat, impetrando auxilium ad dispositionem, et mediante illa pervenit ad justificationem. Idem ergo dicimus in merito de congruo quod executionem respicit, et ideo quando est fundatum in actu imperfecto et dispositione remota, non potest habere immediatam habitudinem ad justificationem ipsam, sed ad illud medium illi propinquius, ut magis in puncto sequenti explicabitur.

21. *Assertio sexta in ordine.* — *Est pro illa Augustinus nec dissentit D. Thomas.* — *Accedit ratio.* — Ad hujus ergo meriti et præmii majorem declarationem dico quarto: peccator per unum actum ex gratia factum, vel minus perfectum, vel magis remotum ab ultima dispositione ad gratiam, meretur de congruo ac immediate novum aliquod auxilium, quo alium actum perfectiorem vel propinquiorem justificationi efficiat; vel etiam meretur

de congruo auxilium ad vitandum aliquod peccatum vel peccandi occasionem, quæ perfectam conversionem maxime impedire solet. Hæc assertio, sicut explicat præcedentem, ita ex illa a posteriori sequitur, quia, juxta doctrinam Scripturæ et Sanctorum, peccator per bona opera ex gratia facta potest aliquo modo mereri justificationem et remissionem peccati; sed hoc non potest fieri immediate, ut ostensum est; ergo fit merendo per actum procedentem a priori auxilio aliud auxilium ad ulteriorem actum, et sic procedendo, donec ad terminum justificationis perveniat; ut, verbi gratia, juxta progressum justificationis traditum in Concilio Tridentino, sessione 5, c. 6, prima voluntas credendi ex nullo merito esse potest; tamen, illa posita, per fidem meretur homo ut vel ad timorem gehennæ, vel ad desiderium suæ salutis excitetur; quod si cooperando huic auxilio supernaturaliter incipiat salutem desiderare, vel perditionem timere, per hoc meretur ulterius promoveri ad fiduciam in Deum, vel ad aliquam ejus dilectionem, vel ad peccati detestationem, saltem imperfectam, ut ita paulatim ab imperfecto ad perfectum progrediatur, quod homini est connaturale, cui gratia se accommodat, modo suavi illum ducendo. Et hanc doctrinam complexus est Augustinus paucis verbis supra citatis: *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici*, ut supra illa explicuimus. Nec ab ea est alienus D. Thomas, dicta quæst. 114, art. 1, nam in corpore generaliter dicit, quamvis prima gratia non cadat sub meritum, per primam posse mereri secundam: *Quia si aliquis, ait, virtute gratiæ præcedentis mereatur aliud donum gratuitum, jam non meretur primam gratiam.* Hanc autem doctrinam tradi ab ipso non solum de prima gratia sanctificante, sed etiam de auxiliante cum partitione accommoda, explicat in solut. ad 1, dicens: *Si supponamus, sicut fidei veritas habet, quod initium fidei sit in nobis a Deo, jam motus fidei consequitur primam gratiam.* Quod est verum de prima gratia auxiliante, non de sanctificante, ut per se patet, et ex solut. ad 3, ubi ait quod omne bonum opus hominis procedit a prima gratia, sicut a principio, quod de auxiliante tantum gratia verum est, ut in quæst. 109 ipse docuerat. In eodem ergo sensu infert quod *actus fidei non potest esse meritorius primæ gratiæ*, indicans procul dubio posse esse meritorium secundi auxilii. Ratio denique clara est ex dictis, quia in uno actu

istorum est sufficiens proportio cum auxilio ad ulteriorem actum, et inter eos est immediata habitudo, sub actu includendo auxilium necessarium ad illum; ergo hoc sufficit ut auxilium ad unum actum detur intuitu alterius præcedentis; ergo ex merito de congruo, quia aliæ conditiones necessariæ hic non desunt, et solum habituale peccatum non impedit, ut sæpe dictum est. Et hic habet locum argumentum ab impetratione, nam sine dubio potest unum auxilium immediate impetrari per orationem priori auxilio factam; ergo mereri de congruo, quia hæc duo in via conjuncta sunt modo jam dicto.

22. *Difficultas et conjectura pro ea.* — Sed quæres an possit hoc modo peccator mereri de congruo per dispositionem remotiorem auxilium ad propinquiorem non tantum sufficiens, sed etiam congruum et efficax. Nam discursus factus etiam de efficaci videtur probare, tum quia etiam cum illo habet proportionem præcedens actus; tum etiam quia alias nunquam merebitur aliquis hoc modo justificationem, quia non potest perveniri ad illam nisi per auxilia efficacia; tum præterea quia argumentum ab impetratione sumptum hic maxime locum habere videtur, quia potest homo auxilium efficax petere et impetrare; cur ergo non etiam de congruo mereri? tum denique quia alias parum utile esset hoc meritum, quia auxilium tantum sufficiens ex generali providentia gratiæ quasi necessaria consecutione datur, ut in libro quarto visum est. Atque hæc quidem partem hanc probabilem facere videntur.

23. *Deciditur.* — Nihilominus tamen probabilius est non posse peccatorem de congruo mereri auxilium efficax, seu vocationem congruam ad perfectam conversionem suam, sive mediate, sive immediate. Quod probatur primo, quia justus non potest de condigno mereri auxilium efficax ad vitandum lapsum, ut supra visum est; ergo nec peccator potest mereri de congruo auxilium efficax, sive ad vitandum novum lapsum, sive ad resurgendum a lapsu; non est enim hoc beneficium minus quam illud, sed fortasse excellentius majusque auxilium postulat. Consequentia probatur, quia (ut supra dicebam) servata proportione, non minus, imo fortasse magis potens est justus ad merendum de condigno quam peccator ad merendum de congruo. Accedit quod multi negant posse justum mereri de congruo auxilium efficax non sine probabilitate. Unde res hæc etiam in justo

dubia est; ergo peccatori videtur omnino negandum hoc meritum de congruo respectu auxilii efficacis. Ratio vero reddi potest, quia auxilium efficax, si quoad executionem, seu actualem efficaciam consideretur, pendet ex hominis libertate, et ideo ex hac parte non potest cadere sub meritum ejus. Si vero consideretur quod præparationem ex parte Dei, pendet ex libera Dei electione, et prædestinatione, ac præscientia, et ideo est extra omne meritum hominis, præsertim peccatoris. Quia actus ejus de se non habet proportionem cum tali genere beneficii, neque etiam ex conditione personæ illam recipit, cum tanto beneficio indigna sit.

24. *Satisfit conjecturis in n. 22. — Potest homo peccator auxilium efficacæ impetrare, non mereri.* — Neque conjecturæ in contrarium obstant. Nam imprimis actus, in quo potest tale meritum fundari, non habet eandem proportionem respectu auxilii sufficientis et efficacis, quia sufficiens est quasi connaturaliter debitum juxta ordinem gratiæ, non autem efficax, et ideo cessat illa ratio, sicut etiam cessat in merito de condigno justorum. Deinde cum peccator dicitur mereri de congruo justificationem, semper habet subintellectam conditionem: Si ipse non desit gratiæ Dei, resistendo divinis auxiliis, quæ illi ex tali merito dantur ut ad justificationem perveniat. Et ideo si restiterit, non sequitur non meruisse de congruo justificationem saltem remote, sed sequitur culpa sua non obtinuisse quod meruerat. Præterea, satis dubia res est an possit homo etiam justus infallibiliter impetrare auxilium efficacæ, de quo aliquid dicemus in capite sequenti; multo vero magis videtur hoc negandum in peccatore, quia cum in potestate ejus sit bene operari cum auxilio sufficiente quod impetrare potest, non est cur ex vi orationis auxilium efficacæ infallibiliter ei concedatur, quia nunquam potest talis oratio habere omnes condiciones ad infallibilem impetrationem necessarias. Quicquid vero sit de infallibilitate, certum videtur posse interdum peccatorem auxilium efficacæ impetrare; nam testimonia Scripturæ et Patrum hoc multum significant. Inde tamen non licet colligere meritum de congruo ejusdem auxilii, quia, licet impetratio in via conjuncta sit cum aliquo merito, non tamen semper sunt ejusdem rei seu quasi objecti, sed potest homo mereri unum et impetrare aliud, ut supra dixi. Et præsertim quia impetratio magis nititur in pura misericordia et

liberalitate Dei, quam meritum, sæpissime fit ut plus impetret homo orando quam mereatur etiam de congruo. Hoc ergo modo fieri potest ut impetret auxilium efficacæ, quamvis solum mereatur sufficiens. Et ideo non sequitur, quod ultimo loco inferebatur, parum utile esse hoc meritum. Tum quia etiam est utile mereri quod alio titulo dandum esset; tum etiam quia, licet auxilium sufficiens omnibus offeratur, non tamen omnibus actu datur sine aliqua præparatione per prius auxilium; tum præterea quia inter auxilia sufficientia est latitudo, et ita per meritum poterit copiosius obtineri, et fortasse interdum dabit Deus etiam efficacæ, addendo congruitatem auxilii ultra omne meritum, præsertim oratione et impetratione interveniente, ut declaravi.

25. *Corollaria quædam colliguntur.* — Atque ex his infero primo hominem ante formalem justificationem posse mereri de congruo quæcumque auxilia gratiæ actualis sufficientia, non tamen efficacæ, ex sufficientibus primum excipiendo, quod cum sit principium omnis meriti, sub nullum cadere potest, ut recte dixit D. Thomas, dicto art. 5, et in l. 3 late dictum est. Et hinc etiam fit ut non possit de congruo mereri prædestinationem suam, tum quia in illa includitur primum auxilium; tum etiam quia tale auxilium et multa sequentia in prædestinato oportet ut efficacæ sint; tum denique quia prædestinatio est quasi extrinseca et prior radix talium auxiliorum, et ideo fundari non potest in merito quod ab illis procedit. De habitualibus autem donis gratiæ, jam diximus non posse cadere sub hoc meritum peccatoris, nisi mediante alio auxilio actuali. Quod est clarum ex dictis in omnibus habitibus, qui gratiam sanctificantem consequuntur. De habitu autem fidei et spei, probabile est peccatorem per primum actum fidei mereri de congruo et immediate infusionem sui habitus, et cum proportionem de spe. Hoc tamen non est contra dicta, si formaliter intelligantur, quia actus fidei est ultima seu proxima dispositio ad habitum fidei, et actus spei ad suum habitum, ut in l. 8 declaratum est.

26. *Postremum corollarium de merito bonorum temporalium.* — Ultimo, intelligitur ex dictis quomodo possit peccator mereri de congruo temporalia bona. Nam, ut notavit D. Thomas, dicta quæst. 114, art. 19, hæc bona dupliciter spectari possunt. Primo, absolute et secundum se, prout huic temporalis vitæ deserviunt. Secundo, prout conferre possunt,

vel etiam esse necessaria ad vitandum peccatum, vel salutem consequendam. Hoc posteriori modo, ut supra notavi, computari possunt hæc subsidia temporalia inter auxilia gratiæ; unde eo modo quo peccator potest mereri de congruo cætera gratiæ auxilia, poterit a fortiori mereri hæc temporalia subsidia, quæ, licet in se temporalia sint, sub eo respectu sunt spiritualia, et quodammodo supernaturalia. Ac proinde ad tale meritum necessarium erit ut actus ex fide et auxilio gratiæ procedat, et ita facile erit invenire in hujusmodi actu cæteras conditiones necessarias ad merendum de congruo talia dona sub tali respectu. At vero si talia bona priori modo seu secundum se spectentur, facilius videri potest posse peccatorem illa mereri de congruo, quia inferiora sunt, imo non sunt bona simpliciter, sed secundum quid. Et consequenter ad tale meritum non erit necessarius actus supernaturalis, sed naturalis sufficiens, dummodo bonus sit, quia talis actus habet sufficientem proportionem cum talibus donis sic spectatis. Et ita hanc partem sequuntur aliqui moderni 1. 2, q. 114, art. 10, ita intelligentes D. Thomam ibi, præsertim Medina ibi, et Valentia, disput. 8, quæst. 6, punct. 4, § 6, in fine.

27. *Alii nolunt.* — Nihilominus alii negant posse peccatorem hæc mereri proprio merito de congruo. Et in hunc sensum exponi potest D. Thomas. Nam cum ibi distinguit meritum simpliciter, et secundum quid, sub merito simpliciter videtur comprehendere omne meritum proprium, sive sit de congruo, sive de condigno; per meritum autem secundum quid intelligere videtur meritum metaphoricum seu similitudinarium, quod attenditur magis secundum motionem et intentionem Dei, quam secundum proprium meritum peccatoris. Quem sensum plane indicat D. Thomas in solut. ad 2, concedens hoc meritum etiam operibus ex genere bonis peccaminose factis, quod supra diximus non posse intelligi de vero merito, etiam de congruo, sed solum per quamdam externam speciem seu similitudinem, quia Deus ob alias rationes suæ providentiæ remunerare vult in illis operibus laborem aliquem, vel utilitatem ad finem a se intentum, ac si bene facta essent. Quod autem bona opera moralia peccatoris, etiam si ex omnibus circumstantiis honeste fiant, non habeant rationem meriti apud Deum magis propriam, solum probant dicti auctores, quia peccator est inimicus, et inimicus nul-

lius remunerationis est capax. Quæ ratio sæpe rejecta est, quia, licet inimicus Dei non sit apud ipsum capax remunerationis ex debito justitiæ, est capax remunerationis ex aliqua operis congruitate.

28. *Auctoris judicium.* — Unde dicendum censeo, si opus morale sit omni ex parte bonum, de se esse meritorium de congruo apud Deum, juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2, quæst. 21, art. 4. Tale vero meritum sicut non extenditur ultra naturale seu temporale præmium, ita de se non indiget gratia, vel auxiliante, vel sanctificante personam. Unde sine dubio esse posset in homine in puris naturalibus. Non est ergo inconveniens aliquod tale meritum in peccatore admittere. Fateor tamen minus perfectum in illo esse quam esset in homine in puris naturalibus, quia in illo statu dispositio personæ non impediret nec minueret congruentiam operis, quia tunc carentia gratiæ non esset mala, quia non esset privatio, sed negatio altioris perfectionis, et aliunde bonitas naturæ esset proportionata tali merito. Nunc autem status peccatoris multum diminuit congruentiam hujus meriti propter personæ indignitatem. Et ideo fortasse tale meritum in puris naturalibus ad plura naturalia præmia extenderetur, quam nunc in homine peccatore, nimirum ad beatitudinem naturalem, vel ad recipiendum aliquod auxilium naturalis ordinis ad bene moraliter operandum, quæ in suo ordine sunt simpliciter bona, et nunc non dantur regulariter, nisi ut conjuncta donis gratiæ, et ideo verisimilius est peccatorem nunc illa non mereri de congruo per hujusmodi opera; nihilominus tamen, respectu bonorum temporalium, semper est in talibus operibus aliqua proportio, ratione cujus peccator dici possit illa de congruo mereri proprie, licet valde imperfecte, et secundum quid. D. Thomas autem, ut notavit Cajetanus in illo articulo, meritum simpliciter vocavit meritum supernaturale fundatum in gratia, sive auxiliante (ut ego interpretor), sive sanctificante, et ita sub merito secundum quid comprehendit omne meritum fundatum in omni opere naturali, quod in suo ordine est verum meritum, quando opus est simpliciter bonum, de quo loqui videtur D. Thomas in corpore articuli, licet, in solut. ad 2, ad meritum omnino improprium et similitudinarium illud extendat.